



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE OBVERSATUR SAEPE IMAGO DEIPARAE VIRGINIS DE FATIMA, QUAE PIE SERVATUR  
IN TEMPO PAROECIALI BEATAE MARIAE VIRGINI, REGINAE POLONIAE,  
DICATO INTRA FINES URBIS CRACOVIAE REGIONIS  
«NOWA HUTA BIENCZYCE» APPELLATAE, PRETIOSO DIADEMATE  
REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Obversatur  
saepe ante Nostros oculos Deipara Virgo de Fatima, quam Christifideles urbis Cracoviae regionis «Nowa Huta  
Bienczyce» appellatae, metallorum praesertim opifices, singulari colunt pietate ac benignissimam Matrem atque  
sapientem Magistrum suae habent vitae, cuiusque pulcherrimam imaginem frequentes venerantur pie servatam in  
paroeciali templo ibidem exstante, Beatae Mariae Virginis, Reginae Poloniae, dicato, quod Nosmet Ipsi, cum fungebamus  
munere Archiepiscopi Metropolitae eiusdem civitatis, die XV mensis Maii anno MCMLXXVII sollemni ritu consecravimus  
inter effusam laetitiam civium. Quare, cum Venerabilis Frater Noster Franciscus S.R.E. Cardinalis Macharski, sacrorum  
Antistes Cracoviensis, litteris die XX mensis Februarii hoc anno datis, etiam cleri populi sui nomine petiverit ut  
imaginem, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate posset redimire, Nos, paternae dilectionis  
documentum tam dilectis filiis cupientes praebere, eius sollertia Pastoris precibus libentissime obsecundandum esse  
putamus. Sententia igitur audita Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus,  
Apostolica usi potestate petenti Praesuli partes committimus ut eidem imagini Deiparae Virginis de Fatima Nostro nomine  
et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Minime vero dubitamus quin concessus honor  
in religionis bonum populi spiritualem in profectum cedat pariterque fore confidimus ut ii omnes, qui eandem  
venerantur imaginem, ad colendam praecelsam Dei Genetricem magis magisque incitentur, ita ut regio «Nowa Huta  
Bienczyce», sicut bene ominati sumus in dedicatione paroecialis templi, maneat semper «Matris Regnum». Denique  
volumus ut hae Litterae ratae sint nunc et in posterum, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud  
S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Martii, anno MCMXII, Pontificatus Nostri quarto decimo. ANGELUS  
card. SODANO*

*Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana*